

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

He . 21.

2

PALÆSTRA
PRIMA
THEOREMA-
TUM POLITI-
CORUM,

Quam,
Secundò DEI auxiliò,
Consensu

AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ,
IN ILLUSTRIS ACADEMIA REGIOMONTANA,

publica ventilationi
submitunt,

PRÆSES

JOHANN. GEORG. à Göben/

Nobil. Boruss. & Philosoph. D.

Et

RESPONDENS

BALTHASAR Kölner / Regiom. Boruss.

In Auditoriò Philosophorum

Ad d. 27. Augusti, Anno 1672.

Typis imprimebat Josua Segebadius.



PALMESTA
PRIMA
THEOREMA
TUM POLITI-
CORUM

Summa
Secundum D. E. L. A. S. S. S.
C. O. L. L. A. G. I. O. M.
ANALYTICA
IN LINGUA ACADEMICA REGIONOMONTANA
publica oratione
habita
P R A E S.

JOHANNI GEORGE S. GEGEN
Nobili Bornae Philologo D.

Et
RESPONDENS
BALTHASAR J. J. V. Region. Bornae
In Auditorio Philosophorum
die 4. Julij, Anno 1672.

Typis imprimendis J. L. S. G. E. B. A. D. I. N. S.
G. E. G. E. N. I.





BONÔ CUM DEÔ !

I.

SCopus totius Philosophiæ est contemplatio
DEI: Hinc & Plutarchus lib. de Orac. defect: cap. 1.
Scopum Analyticæ esse contemplationem DEI; Et
Ammonius Hermias (ad differentiam Ammonii Sacci) *Finem
totius Philosophiæ Aristotelicæ*, ait: *esse cognoscere omnium
rerum principium, causam, omnium opificem, sempiternam, &
in eodem statu permanentem*, in præfat. comment. in lib. categ.
Hic verò est Philosophiæ primæ finis proprius: unde videmus,
quòd ceteræ Philosophiæ species, sint propter Philosophiam
primam, & quòd hæc primariò sit Philosophia, ceteræ secun-
dariò. Quòdcunq; vocabulum uni convenit primariò, alteri
secundariò, id est commune ad unum: Quemadmodum vo-
cabulum civis competit primariò imperantibus, secundariò
obtemperantibus, & est commune ad unum. Ex quibus pa-
tet, Philosophiæ vocabulum esse commune ad unum. Nul-
lum commune ad unum potest univocâ definitione compre-
hendi: quia univoca definitio est eorum, quæ communem ex
æqvò habent naturam: verbi gr. hæc definitio, Animal terre-
stre, pedestre, bipes, est univoca definitio, & est eorum, quæ
communem ex æqvò naturam habent. Cum Philosophia sit
vocabulum commune ad unum, & commune ad unum non
possit univocâ comprehendi definitione: planum est, Philo-
sophiam univocâ non posse comprehendi definitione. Non
tamen commune ad unum omnem omninò respuit definitio-
nem;

A 2

nem;

²nem: quippe commune ad unum potest definiri, vel per nomen notius, vel per enumerationem partium, vel per optimam sui speciem. Triplici hōc modō Philosophia in genere definiri potest: 1 per nomen notius: Philosophia nihil aliud est nisi Scientia. 2 per enumerationem: Philosophia est vel contemplativa, vel Practica, vel Effectiva. 3 per optimam sui speciem: Philosophia est Scientia de Deō. Ex quibus apparet, quōd illi se turpiter dederint, qui univocas definitiones de Philosophiā in genere tradere conati sunt.

2.

Tres verò esse Philosophiæ species, scilicet Contemplativam, Practicam & Effectivam, eò enotescit, quōd tres Philosophiæ sint fines, nempe contemplatio, quæ constituit Philosophiam Contemplativam: Actio, quæ reddit Philosophiam Practicam: & opus rectâ ratione efficiendum, quod ponit Philosophiam Effectivam. Fines enim sunt principia, quibus aliud ab alio, specie differt. Unde *finis cum formâ*, per quam alterum ab altero specie differt, *coincidere* dicuntur. 1. 2 Phys. c. 3. Quibus cum mente Aristotelis, quam videre possumus, 1. 6 Top. c. 3, 1. 8 Top. c. 2. 1. 5 Metaph. c. 1, & alibi passim, ex amussim congruit. Conferatur etiā Diog. Laërt in vitâ Platon. Jam ex prædictis patescere potest, quid Philosophia contemplativa sit, nempe cujus finis est contemplatio. Eò pertinent Philosophia prima, quæ vulgò vocatur Metaphysica, Physica & Scientiæ Mathematicæ. Activa est, cujus finis est actio. Quò pertinent Oeconomica & Politica. Effectiva, cujus finis est opus rectâ ratione efficiendum. Quò referri debent Dialectica, Analytica, Rhetorica, Medica & c. Unde rursus colligas, licet, has ad invicem esse distinctas species, quia definitione differunt: quippe quæ definitione differunt, specie differre rectè dicuntur, ut homo & canis definitione differunt, & rectè specie differre dicun-

dicuntur. Definitione differre dicuntur tantum illa, quæ sunt
sub eodem genere, certis differentiis distincta.

3.

Contemplatio est energiea seu actus Scientiæ: nam Scientia est *habitus demonstrativus* l. 6 Eth. c. 3. demonstratio & contemplatio idem sunt. Actio est energiea sive actus prudentiæ: quippe prudentia est *habitus cum rectâ ratione activus*, l. 6 Eth. c. 5. Effectio operis cum rectâ ratione est energiea artis: ars enim est *habitus cum rectâ ratione effectivus* l. 6 Ethic. c. 4. Quæcunq; Philosophiæ species habet pro fine energieam Scientiæ, illa est mera & pura Scientia: Talis est Philosophia contemplativa, illa enim est, cujus finis est contemplatio, quæ est energiea Scientiæ. Quæcunq; Philosophiæ species habet pro fine energieam alicujus alterius habitûs, illa non est mera & pura Scientia, (puram Scientiam vocamus, quæ non est de alio habitu à scientiâ distincto;) sed Scientia de alio habitu. Jam Philosophia Practica habet pro fine energieam prudentiæ, nam est Scientia, cujus finis est actio, igitur non est Scientia purè; sed scientia de prudentiâ. Philosophia Effectiva habet pro fine energieam artis: quippe ea est scientia, cujus finis est opus cum recta ratione efficiendum, adeoq; est scientia de arte. Cujuscunq; extra se habitûs energieam, pro fine habet aliqua Philosophiæ species, de eo habitu scientia est. Nemo verò putet, scientiam cum prudentiâ, & cum arte, de quibus datur, idem esse: semper enim scientia distincta est ab eo, de quo datur: igitur & scientia, quæ est de prudentiâ, distincta erit à prudentiâ: & scientia, quæ est de arte, distincta erit ab arte. Quod ita esse, inde porro apparet. *Prudentia & Ars sunt singularium.* lib. 1 Metaph. cap. 1. lib. 2. post. c. 14. lib. 1. Rhetor. c. 2. Sed nihil horum de *scientiâ, quæ est universalium.* l. 5 Metaph. c. 2. lib. 7. Metaph. c. 5. lib. 1. post. c. 2. lib. 6. Ethic. cap. 6.

A 3

Pruden-

4
Prudentia & Ars usu acquiruntur; sed scientia doctrinâ. Scientia est habitus *διανοίας*, seu facultatis *διανοητικῆς*; sed ars & prudentia sunt habitus *λόγος* seu rationis, sive consultationis. lib. 6. Ethic. c. 2. §. 8. lib. 1. M. M. c. ult. lib. 4. Eud. c. 5. *Scientia est habitus demonstrativus*. lib. 6. Eth. c. 3. sed non prudentia, neque ars, nam *prudentia est habitus cum verâ ratione activus*, lib. 6. Ethic. c. 5. *Ars verò est habitus cum rectâ ratione effectivus*. lib. 6. Eth. c. 4. Plures rationes brevitatis studiò omitimus.

4.
Cum prudentia sit de rebus in civitate agendis: & ars de rebus efficiendis: in propatulo est, scientiam de prudentiâ esse de rebus in civitate agendis, & scientiam de arte, esse de rebus efficiendis. Quia verò agenda illa nihil aliud sunt, nisi actiones virtutum, inclarescit, quòd Philosophia de prudentiâ sit de actionibus virtutum. Cum ad Politicam, quæ est Philosophiæ Practicæ species, procedere, nobis animo sedeat, sequestratis iis, quæ ad Philosophiam Contemplativam & Effectivam pertinent, unicè ea, quæ Philosophiam Practicam attinent, in præsentì urgebimus.

5.
Actiones virtutum sunt totuplicis generis, quotuplicis sunt virtutes. Virtutes verò sunt, vel civiles, vel domesticæ, ut mariti & uxoris, patris & liberorum, domini & servi; sicut etiam, *alia prudentia Oeconomica, alia Politica*, docente Philosophò. lib. 6. Eth. c. 8. §. 2. & alibi passim. Igitur & actiones virtutum, erunt vel, civilium, vel domesticarum. Jam actiones sunt fines virtutum suarum: hinc etiam actiones perfectiones dicuntur virtutum, quomodo & Eustrat. *ex actione suâ perfectionem consequi virtutem*, docet in præfat. in l. 6. Ethic. Igitur suæ virtutum civilium & domesticarum actiones, erunt
carun-

earundem fines. Videmus inde rursus, quòd, quia finibus dif-⁵
ferunt virtutes domesticæ & civiles, specie differant. Actio
virtutum civilium, quòd uberius, tractatione theorematum
nostrorum longius procedente, constabit, constituit felicita-
tem civilem, actio virtutum domesticarum, felicitatem do-
mesticam. Cum Philosophia Practica agat de rebus agendis,
seu de virtutibus & earundem actionibus: manifestum evadit,
Philosophiam Practicam esse duplicem, quia virtutes & earun-
dem actiones sunt duplices, nempe aliam, quæ agit de virtuti-
bus civilibus, & earundem actionibus, quæ dicitur Philoso-
phia Civilis seu Politica: aliam, quæ agit de virtutibus dome-
sticis, & earundem actionibus, & dicitur Oeconomica. Ex
his enotescit, errare illos, qui tenent, unam esse speciem Philo-
sophiæ Practicæ. In quâ sententiâ versari leguntur, veteres Phi-
losophi ante Aristotelem, quod colligere est. lib. 1. Polit. c. 1.
Hæc sententia tribuitur quoque Platoni & Xenophonti, Pla-
toni quidem, quòd in Politici initiò Hospitem & Socratem ju-
niorem ita loquentes introducat: *quid, ait Hospes, num Poli-
ticum, Regem, Dominum & Oeconomum, tanquam unum quid
esse stutuemus, an tot artes istas, quot nomina dicuntur? Qui-
bus tandem subjicit: manifestum est, unam in his omnibus sci-
entiam esse, eamq; sive Regiam, sive Civilem, sive Oeconomi-
cam quis nominaverit, nihil refert.* Xenophonti tribuitur
hæc sententia per locum ex lib. 3. Memorabil. ubi Socrates ad
Nicomach: *Noli contemnere, Nicomachide, Viros peritos do-
morum gubernandarum. Cura enim studiumq; rerum dome-
sticarum, in numerò tantùm discrepat à curâ Rerum publicarum,
ceteris in rebus pares sunt.* Hanc sententiam sequuntur ex
Neotericis Averroes paraphras. librorum Platon. de Republ.
in initiò: Franciscus Piccol. in Introduct. ad 10 Grad. c. 8, 9.
Conradus Hornejus lib. 1. cap. 2. num. 4. Civilis doctrinæ de
moribus.

6. Quia

Quia & Ethica agit de virtutibus civilibus, & earundem actione, quæ est finis totius Politicæ: intelligere in proclivi est, Ethicam non esse aliam, quàm Politicam scientiam. Errant rursus illi, qui existimant, in Ethicis agi de virtutibus, ut sunt indifferentes ad statum œconomicum, & statum civilem, atq; adeo Philosophiam Practicam tripartitò esse dispescendam, nempe in Politicam, Ethicam, & Oeconomicam. Quæ sententia Thomæ fuit. Quod alibi latius explanabimus. Aristotelem quoq; nomine Politicæ Ethicâ insignire, nemini obscurum esse potest, qui saltem leviter libros ejusdem Politicorû & Ethicorum excusserit. Ut autem pauca pro eo ostendendo adducamus, noscendum quòd lib. 1. Eth. c. 2. expressè dicat: *methodum de civitatis bono esse politicam.* Et rursus l. 1. Eth. c. 1. (2) *finem ultimum omnium actionum humanarum considerare, est Politica.* Jam verò S. B. H. seu finem ultimum humanarum actionum in Ethicâ considerandum esse, communi omnium philosophorum consensu certum est. Neq; id curatius ostendere, attinet, cum communis omnium consensus sit firmissimû argumentum, docente Arist. l. 1. Eud. c. 6, & Alexandr. lib. de fato & libertate §. 2. p. 10. Si, S. B. H. considerari in Ethicâ, certum sit: certum quoque est, teste philosopho, Ethicam esse Politicam. Ita enim Philosophus: *Principalissima societatis, reliquas omnes complectatur, ijsq; imperet, finis est principalissimum bonum; principalissima verò societas dicitur societas politica, seu uno vocabulo Civitas,* l. 1. Pol. c. 1. §. 1. l. 3. Pol. c. 12. §. 1. Si rei & finis ejusdem rei consideratio est ejusdem scientiæ, quod colligere est ex l. 2. Top. c. 3. utiq; cum societatis civilis consideratio sit scientiæ Politicæ, etiam S. B. H. erit politicæ, quod cum in Ethicâ tractetur, patescit, Ethicam esse Politicam.

PALÆ-


Lp 329
8

1000

200







2

ESTRA
IMA

DREMA-
POLITI-
RUM,

Quam,
DEI auxiliò,
Consensu
ULTATIS PHILOSOPHICÆ,
MIA REGIOMONTANA,
e ventilationi
bmittunt,
RÆSES

GEORG. à Gözen/
s. & Philosoph. D.

Et
PONDENS
Kölner / Regiom. Boruss.
iò Philosophorum
ugusti, Anno 1672.

bat Josua Segebadius.

